

3323

C O D I C E S

3324

de quibus fit mentio in sermone predicto. Agitabatur in Concilio, an post renunciationem et depositionem trium Pontificum vel Ecclesia prius reformanda, vel ante reformationem novus Pontifex eligendus sit. Itaque hic variis Quaestionibus et Conclusionibus ante omnia urgetur nova Electio ex iis maxime capitibus, quod Cardinales Ecclesiam diutius permitendo acephalam Schismati, imo Haeresi in Job. Husso condemnatae favere videantur, et quod praesumi non possit, Ecclesiam melius reformandam sub seculari potestate Romani principis quam spirituali auctoritate summi pontificis. Atque haec maxime, ut dicitur, diriguntur contra iniuriosam cedulam Magistri petri pauli dominica 22. die Augusti in valvis ecclesiae affixam. In Sess. VIII. 1415. inter Congregatos nationis Italicae T. XVI. Concill. edit. Venet. col. 124. memoratur Petrus Paulus de Austria fortassis Astia vel Asta, utriusque juris doctor, qui, an noster sit, ignoro, Scriptum vero istud ineditum ad an. 1417. et mensem Aug. vel Sept. pertinere arbitror.

XXXIII. fol. 342. Sermo de omnibus sanctis et ad calcem: P. Cardinalis Cameracen. Anonymum vidimus hunc Sermonem Cod. DL. XXII. Initium: Signum magnum apparuit in celo mulier amicta sole — Apoc. XII. Hec mulier que in verbis propositis tanquam signum magnum in celo apparuisse dicitur — sanctam ecclesiam triumphantem congrue significat &c. In Par-

te secunda a triumphante ad militantem descendit Ecclesiam, ubi multa praeclare de futuri Pontificis conditione, et Praelatorum in Concilio officiis; dissimulare tamen nequit, sibi Gersonique non successisse condemnationem Johannis Parvi; ita enim sub finem contra amatores eclypsum: quales fuerunt nonnulli qui dudum (1415) in hoc loco Sessionis octo fidei radios ad fugandas errorum nebulas potentissimos videlicet octo regulas catholicas in condemnatione errorum specialiter observandas tunc ex parte christiani francorum regis ad instructionem cause fidei proponendas proob pudor in suo inopportuno clamore clamorosoque strepitu obtenebrare presumpserunt &c. Nemo Sermonis hujus, quod sciam, meminit praeter Mansium ad Fabric. Bibl. L. XV. p. 239. qui Viennae praefens egregium hunc Codicem inspexit, in quo continentur Sermones XXI. inediti, nisi fortasse illorum aliqui inter V. illos haberentur, quos teste Schelbornio Amoenit. lit. III. p. 40. Herm. Hardtius P. III. Hist. literar. Reformationis publicavit, quod opus mihi nunc ad manum non est.

DCCCCLXX.

Codex chartaceus lat. Sec. 272 XV. Folior. 300. f. per duas columnas probe exaratus et rubricis distinctus olimque pertinens ad Augustinenses Ratispone completur Res Conciliares Basileenses hoc ordine: I. Incipit Responso fratris Johannis de ragusto Ord. Pre-

Predicator. sacre Theologie Professor. facta in sacro generali Basilien. Concilio ad dicta magistri Johannis de Rakizano Bobemi in Articulo Communionis sub utraque specie Anno &c. tricesimo 3°. Idem fere repetitur ad calcem hujus disputationis, quae octo dies tenuit, et post Canisium Antiq. Lect. T. III. P. 2. inserta est Collectionib. Concil. et speciatim Labbeanae edit. Venet. T. XVII. col. 817. De Autore adi Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 798. Quod inter dicendum crebro haerefeos et haereticorum vocabulum haberet in ore, surgens Procopius Bobemus: Conterraneus, aiebat ad Synodum, iste noster (Dalmata) injuria nos afficit. Ad quod Johannes: Quia conterraneus vester sum lingua ac natione, propterea tam avide cupio vos ad matrem ecclesiam redire. Ita refert Narratio compendiosa de Bobemis ad Conc. Basil. vocatis. T. cit. Concil. col. 203.

II. fol. 88. p. 2. Secuntur Responsiones contra quosdam alios articulos magistri Heinrichi Kaldisen (Kalteifen) Ordinis Predicatorum. Supra paullo recentiore manu adnotatur: disputavit contra Ulricum de Moravia Presbiterum quem dixit Jo. Hus. fore pium et deuotum doctorem ueritatis christi. quem et vicit Anno 1433. Disputavit vero per triduum de libera praedicatione verbi Dei. Extat haec Disputatio, ubi prior, col. 1079. cum eadem prorsus subscriptione, ut in praesenti Codice. Autoris fa-

ta et scripta recensentur in Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 828.

III. fol. 161. p. 2. Responsio, ut in calce habetur, ad secundum articulum Bobemorum edita per Magistrum Egidium (Carlerium) Decanum cameracensem in Concilio Basilien. super peccata publica. Ante praecedentem scribi debebat haec Disputatio, quemadmodum apud Labbeum T. cit. col. 979. ante eam legitur. Refutandum sibi sumfit per quadriduum Nicolaum Taboritam Aegidius Carlerius, nescio, an non magno Gersoni sanguine junctus. De ejus Vita et scriptis agit Job. Launojus in Hist. gymn. Navarr. P. III. L. 2. c. 4. et J. Fr. Foppens Bibl. Belg. P. I. p. 27. Ad calcem in Codice jacet annus scriptationis 1467.

IV. fol. 219. p. 2. absque inscriptione Johannis de Polemar s. Palomar Archidiacon. Barcinonensis et Apost. Palatii causarum Auditoris Oratio per triduum habita contra quartum Bohemorum articulum de Clericorum civili Dominio, quem proposuerat M. Petrus, non Rayne, ut Canisius supracit. T. IV. P. 2. et Labb. T. cit. col. 1207. legit, sed Payne Anglicus. Finit haec Oratio in verbis: per ipsum qui via est perveniamus ad vitam gratiae in presenti et gloriae in futuro Amen. In impressis vero tribus foll. et amplius excurrit, quem excursus Canisius in uno tantum Codicum ms. quos illi D. Georg. Lautberius Monachii ad D. Virginem Prae-

Praepositus subpeditaverat, invenit; nos vero Cod. DCCCCLXXIII. una cum ipsa Oratione indicabimus. Ex hac oratione noto, Paynium Pragae habitasse in Coenobio Emauntino, in quo Monachi Benedictini postea ad D. Nicolaum traducti et nunc aboliti, lingua Slavica in sacris utebantur; ait enim Polemarius, nobis fol. 225. p. 2. Nec credo, quod si adueniat sibi bona hereditas — portaret eam in communi cum fratribus monasterij sclavorum in praga cum quibus viuit. Quatuor hae Disputationes a quatuor Nationum viris Ragusino, Confluentino, Cameracensi et Barcinonensi habitae et in Basnagiana Canisti editione Amstelod. in T. IV. p. 447. repositae hac in Cod. nostro subscriptione miniata gaudent: In die sancti Clementis Anno domini 8^o c. M^o. CCCC^o Sexagesimo Septimo 8^o c. 1.467. Per me Matbiam Hamfues tunc temporis morantem in Adriach. Oppidum hoc exiguum est Stiriae Austriam versus aliquot leucis a Metropoli Graecio distans.

V. fol. 247. Lumen confessorum Vocatur hec doctrina omnibus penitentiarys et confessoribus ad sciendum necessaria per me pauperem hominem andream (didaci de Escobar O. S. B.) byspanum minorem penitentiarium et Megaren. episcopum et pontificem ex multis dictis magistrorum theologie et decretalium ac decretorum in multis locis dispersis et varijs determinationibus compilata et facta Rome dum ad partes byspanie velem ire

dimissa omnibus dominis meis Cortesanis (Curialibus) et presertim curam habentibus animarum pro speciali valete, cum non habeam quare ibidem residere ac ministrare. Anno domini M^o (CCCC) XXX^o. oblata per me Reuerendissimo in christo patri et domino Jordano de Ursinis Cardinali et episcopo Albanen. dignissimo maiori ecclesie penitentiario. Quinque sunt Libelli Partes, quibus absolvuntur ea, quae ad animorum regimen pro sacro tribunali pertinent. Cum jam Sec. XV. aliquoties cum f. l. et a. tum nominatim Daventriae 1490 et 97. typis excusus fuerit, nil addam, nisi quae in fine leguntur. Explicit tractatus seu doctrina que vocatur lumen confessorum — per indignum penitentiarium minorem Romane curie — Andream didaci Hysspanum ordinis sancti Benedicti olim ciuitatens. Post aiacens. Nunc vero antiquum et pauperem episcopum megaren. que ecclesia fuit in Prouincia Grecorum et terra athenien. ac commendatorem Monasterij Sancti Iohannis de Penderato ordinis Sancti Benedicti Portugalens. dyoc. Ora te et pater noster dicite pro eo quicumque studetis seu legitis in hoc libro.

DCCCCLXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 298
XV. Folior. 150. f. currente calamo scriptus ad Concilium Basileense pertinet. Inest I. Contra secundum articulum Bobemorum Collocio preambula positioni pro veritate